

## Aduertencias para

stum, & ad membra eius : quamuis indirecte etiam remittat peccata in quantum Sacramentum excitando charitatis feruorem, quo etiam pene remittuntur : sed tunc non fit remissio omnis pene, sed gradus remissionis corespondet gradui charitatis. Si autem consideretur ut est Sacrificium, idest, in quantum offertur ab offerente pro se, vel pro quibus illud offert, sic vim habet satisfactiuam ad satisfaciendum pro pena. Sed quia in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis, ut patet in vidua. Lucæ. i. quamuis hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pena, tamen de facto satisfacit pro illis, pro quibus offertur, vel etiam pro offerentibus, secundum quantitatem suæ deuotionis, & non pro tota pena.

¶ Doceat sexto Parochus, effectum etiam huius diuini Sacramenti esse dare ius ad gloriam & beatitudinem eternam. Et hoc duplici via. Prima est, quia per Baptismum aperitur ianua Regni cœlestis, & tamen Baptismus includit in se votum Eucharistię. Secundo gratiam per Baptismum datam, per quam habemus ius ad gloriam, hoc Sacramentum nu-